UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae, 1611

De consideratione prædicationis Christi. Cap. 26.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45624

Visual Library

conuertere ad me, in quo habes redemptionem, & remiſſionem peccatorum, & ſpem hæreditatis, quæ veris pœnitentibus, ſeruatur in cœlis. Rumpe iam catenas occaſionum, quibus ligatus es, & reſpira ad libertatem filiorum Dei dignam pretio ſanguinis mei. Ne timeas me tanquàm durum dominum, qui peccaſti, & conſcientia tibi dictat, te ſupplicio dignũ eſſe: Ego enim parcam tibi, & ſtatim ac ſuſpiraueris ad me, omnium iniquitatum tuarum non recordabor. Veni citò, fili chariſſime, accelera vt reconcilieris mihi; & delectabor ego fructu mitiſſimæ conuerſationis meæ; doceboque te in abſcondito, ſuauiſſimam diſciplinam meam, qua fies particeps tenerrimi cordis mei.

De conſideratione prædicationis Christi.

CAP. XXVI.

NImis ſtultè agis, fili, cum quęris magiſtros prurientes auribus, qui prophetent ad beneplacitum tuum, & auertis au-

auditum à veritate mea, quę corda caſta delectat. Certè ignitum eſt eloquium meum vehementer, vt notauit Dauid ſeruus meus, qui toto corde dilexit illud. Ego prædicaui mundo veritatem, neque peperci laboribus, & ſudoribus, vt erudirem principes terrę, & ſenes eius prudentiam docerem. Palam apparui illis, qui me non interrogabant, annuntians eis vitam æternam, & annum remiſſionis, vt pingueſcerent deſerta ſæculorum, & campi replerentur vbertate. Clamaui, præ ſenſu, & deſiderio ſalutis tuæ, ſuadens tibi emere à me aurum ignitum charitatis meæ, vt fieres diues inter omnes orientales: & tamen plus placent tibi fabulæ, & mendacia peccatorum, quam viui, & molliti ſermones Redemptoris tui. O ingrate, & ſtulte nimis fili Adæ, quomodo non aperis aures cordis dulciſſimis & efficaciſſimis verbis meis? Recordare mei, quando in die magno feſtiuitatis clamaui: Si quis ſitit veniat ad me, & bibat, & quandoquidem ſitis vexat te, bibe iam, & refrigerare, vt fiat in te fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Recordare, fili, quid fecerim ego in cordibus auditorum qui ſenſerunt

virtutem prædicationis meæ, & erudire, vt fias ſimilis eis. Certè multi dixerunt: Nunquam ſic locutus eſt homo: ſenſerũt enim fortiſſimam veritatem, & vocem Domini confringentis cedros ſuperborũ, & humilia corda conſolantis. Sed tu, fili, aliter ſentire videris, cum illis, qui dixerunt, durus eſt hic ſermo. Si enim non ita eſſet, non curreres tam velociter ad ſolatia mundi affectus tædio ſcholæ meæ. Verumtamen ſatis eſt, quod hactenus obturaueris aures tuas, ne verba mea penetrarent crudelia viſcera tua: humiliare nunc, & conuertere ad præceptorem vitę tuę, cuius dulciſſimis verbis ſaxa mouentur. Ego qui publicè prædicaui, dum eſſem inter mortales, prædicabo tibi ad aures cordis, & Euangelizabo remiſſioně delictorum, & ſpem firmiſſimam incedětem vſque ad interiora velaminis, quo velatur diuinitas mea. Et dabo tibi cor ſapiens, & intelligens, ſi acquieſcas ſermonibus meis, quos percipies in ſibilo auræ lenis, quando remotus ab occaſionibus, & negotijs ſæculi, clamaueris ad me. Fac ergo fideliter, fili mi, aperiens mihi portas cordis tui, recipiens, conferens, & conſeruans in eo caſtiſſimam doctrinam meam, ſicut theſaurum pretij in-

incomparabilis, pro quo omnis ſubſtantia terrena iuſtè venderetur. Excutere de puluere, quo excæcatus es fili : exurge à luto fęcis, in quo iaces : reſuſcitare iam à morte peccati ad fortiſſimam vocē meā, qua te, ſicut Lazarum à monumento, vocaui. Hæc eſt eruditio vitæ æternæ, quam qui ſecuti ſunt, collegerunt fructus ſuauiſſimos prædicationis meæ. Hæc eſt eruditio, quam ſegregaui hæreditati amicorum meorum, qui purgatis auribus audierunt me, & conuicti fortitudine veritatis, obſeruauerunt fidelia mandata mea. Hæc eſt eruditio fortium Iſrael, qui gladio verbi mei abſciderunt carnalia, & mundana deſideria & totis viſceribus adhæſerūt mihi, vnico bono, & ſolatio ſuo. Hæc cogita, fili, & reuertere ad me de via, per quam erraſti: lactaboque te puro lacte melle dulcioris eloquij mei.

De conſideratione noſtræ redemptionis.

CAP. XXVIII.

QVi attentè conſiderat myſterium redemptionis, quę eſt in ſanguine meo, fili chariſſime facilè compungitur & mouetur ad agendam veram pœnitē-